



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.  
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,  
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

**Berti, Giovanni Lorenzo**

**Monachii [u.a.], 1749**

Caput IV. De Irenæo Lugdunensium Episcopo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83642](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83642)

# CAPUT IV.

De Irenæo Lugdunensium Episcopo.

## SUMMARIUM.

1. Præmittitur Notandum historicum.

2. Afferitur S. Martyrem Irenæum Verbi propugnasse divinitatem.

3. 4. & 5. Diluuntur contraria.

1.  
Quid de S.  
M. Irenæo  
sciendum.

**S**CRIPSIT Irenæus Asianus genere, & in Episcopatu Lugdunensi Pothini successor quinque adversus hæreses libros; in quibus Arianismi semina putant Sociniani se certo deprehendere. Sed Irenæi vindicias doctissimi viri profecuti sunt, inter quos Bullus in Defens. Fid. Nic. sect. 2. cap. 5. §. 8. Nicolaus Le Nourry in App. ad Biblioth. VV. PP. diff. vi. cap. 6. & Renatus Massuet diff. 3. art. 5. in editione à se ipso exornata: in qua Irenæi doctrinam, ob egregiam nostrorum dogmatum defensionem, fraudulenter corruptam immerito Ernestus Græbius conqueritur. Nam Massuetus ad vetustissimos Codices Mss. undique summa diligentia petitos scripta Irenæi castigavit. Sed editione hac missa; negare nequaquam possunt Sociniani traditam ab Irenæo æternam Verbi existentiam lib. II. cap. xxx. num. 9. his verbis: *Semper autem coexistens Filius Patri*; & lib. IV. cap. xx. num. 3. *Filius semper cum Patre erat*; & cap. XIII. num. 4. in explicatione illius textus, quem oborto collo pervertunt, *Antequam Abraham fieret, Ego sum*. Utrum vero cum Verbi præexistentia Irenæus etiam illius divinitatem, & quidem summam ac supremam agnovit, inquirendum est modo.

**PROPOSITIO:** S. Martyr Irenæus Verbi propugnat divinitatem.

Argumenta hujus propositionis sunt. I. Quomodo Irenæus veram, propriamque fatetur in Christo naturam humanam, ita proficitur Divinam: At nemo dixerit per Irenæum Christum non esse verum hominem: Nullus ergo debet opinari, per Irenæum Christum non esse verum Deum. Constat maj. ex lib. III. cap. 21. ubi ait: *Est autem ipse proprie Deus, & Dominus*. Atque lib. IV. cap. 14. *Ab omnibus accipiens testimonium quoniam vere homo, & quoniam vere Deus est*. II. Docet Irenæus hominem peccando legem veri ac summi Dei transgredi: Docet insuper illum, in quem peccant homines, esse Christum: Igitur docet Christum esse verum ac summum Deum. *Ille, in quem peccavimus, donavit remissionem*: ait lib. V.

R. P. Berti Theol. Tom. II.

cap. 4. demonstrans J. Christi divinitatem ex historia Paralytici, cui dixit Dominus, *Remittuntur tibi peccata*. III. Juxta doctrinam Irenæi Filius apparuit Moyse, Filius dedit legis dispositionem, Filius Patres convocavit, & Filius est, quem sacræ literæ appellant Deum, Dominumque: sed, auctore Irenæo, nemo alius apparuit Moyse, nemo alius legem dedit, elegitque Patriarchas, nisi Deus supremus & unus, præter quem non est alius Deus: Ergo juxta Irenæum Filius est Deus ille unus, verus, ac summus. Cum declaratum sit, inquit lib. III. cap. xv. num. 3. *quoniam neminem alium Deum vocaverunt, nisi solum verum Deum Patrem, & Verbum ejus, qui in omnibus principatum habet: manifeste est ostensum Factorem cæli & terræ, qui locutus sit cum Moyse, & legis dispositionem ei dederit, qui convocaverit Patres, Dominum Deum confiteri eos, & alterum neminem nosse*. Quod argumentum invictissimum mihi videtur, si præsertim attendatur evertere Irenæum exitiosissimum dogma hæreticorum, qui à summo Deo Demiurgon, id est, rerum adspectabilem Conditorem comminiscabantur esse diversum. Vide cap. 6. ejusdem libri, & eruditas Massueti animadversiones citato loco num. 54.

Oppones: Irenæus plura affirmat, quæ cum Verbi divinitate pugnare videntur. Ac primo lib. III. cap. 8. Patrem solum Deum ait appellari. Deinde ait Verbo suo præcepisse ut mundum conderet: quod est summo Deo Filium, veluti famulum subicere. Præterea lib. II. cap. 27. num. 6. & lib. IV. cap. 17. Christo diei judicii ignorantiam attribuit, propter quam minorem esse Patre declarat. His ergo prodit Irenæus suam haud ingenuam fuisse fidem.

Resp. Falsum esse ant. Siquidem in lib. III. cap. 8. eos, ut diximus, perstringit, qui mundi Creatorem alium esse à Deo summo autumabant: ibidem ait, Patrem cum Verbo suo juste Deum appellari; & paullo ante docuerat neminem alium esse Deum, nisi qui Moyse apparuit, & legis dedit dispensationem, &

3.  
Objeccio.

4.  
Solutio.

& qui Deus in sacris literis nominatur. Ergo dum Patrem solum Deum esse pronunciat, non Filium excludit, sed *Demurgon*, quem Gnostici Mundi Conditorum esse credebant, aliaque profana numina Gentilitatis. Quare eodem modo explicandus est Irenæus, quo exponitur Apostolica sententia Joan. 1. cap. 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum*: de qua supra. Est enim Irenæus sui ipsius disertus Interpres eodem libro cap. xv. num. 3. Præceptum autem, ac mandatum creandi mundum, quod Pater dedit Filio idem est, ac ipsum Verbum & Filius Patris, qui natus, & genitus est paterna virtus ac potentia: non enim Pater loqui potest, aut præcipere, nisi per Verbum substantialiter à se indistinctum; alias præciperet & loqueretur ad instar creaturarum, ut subtili disputatione demonstrat S. P. Aug. in Primo de Trinitate cap. 12. Hinc etiam Patres, qui post Nicænam Synodum floruerunt, interdum scribere Filium Dei Patris obtemperare præcepto; nam gignere Filium, qui Divinæ communicatione naturæ est Verbum & jussio Patris, *præcipere* dicitur more nostro. Usurpant hanc loquendi rationem Basilii lib. de Sp. Sancto cap. 16. Athan. contra Gentes, Cyrillus lib. 29. Thesaurorum, alique. A quorum sententia non recedere Irenæum tum ex dictis constat, tum ex ejus scopo. Scribit enim citato loco adversus Gnosticos, qui mundum hunc ad spectabilem conditum ab inferioribus Angelis blasphemabant. Ea erit ergo Irenæi mens, Opificem mundi non fuisse Creaturam aliquam, sed Verbum illud, qui generatione sua Patris *Vox* est, ac *præceptum*.

De ignorantia diei ultimæ dixi lib. vii. cap. xii. ad 2. nec est, cur fiam in *Solutio ult. rior*. tam proluxa de Trinit. disputatione etiam rerum repetitione molestior. Quantum ad præsens attinet, Bullus respondet Irenæum de Christo ut homine fuisse locutum: & arridet plurimum hæc responsio cæteris Protestantibus. Videtur tamen periculosa nisi caute explicetur, cum in Christo fuerit omnis plenitudo scientiæ, in eoque, etiam, ut homine, inhabitaverint Divinæ sapientiæ thesauri. Videtur ergo Patri Massuet, ea loquendi ratione castigari ab Irenæo impudentiam Gnosticorum, qui omnium mysteriorum altitudinem se investigare jactabant: ideoque ad illorum frangendam audaciam docere neque Filium diem judicii novisse, nisi quatenus habet à Patre cum participatione substantiæ plenitudinem sapientiæ; & neminem sibi debere tantam arrogare scientiam, quantam sibi inanis gloriæ captatores audacissime tribuebant. Quæ responsio & vera est, & scopo Irenæi valde conformis: neque video cur displiceat Clerico in Historia priorum sæculorum ad annum c. lxxx. num. xix. Possumus tamen & Bulli, & Massuetii responsionem sic una temperare, ut dicamus Christum ignorasse diem extremam, ut hominem; non quod humanitas Christi arcanorum cognitione fuerit destituta; sed quoniam horum cognitio non præfiscitur ex nativa vi humanitatis, qua Filius minor est Patre, sed ex divinitatis natura, quæ in Patre & Filio una est. Hæc autem responsio & salvat in Christo, ut homine, plenitudinem sapientiæ, & diversas veterum sententias conciliat, & ab Irenæi scopo non videtur esse aliena

## CAPUT V.

Contra Joannem Clericum, aliosque Impostores S. Clementis Alexandrinus ab Arianismi nota purgatur.

## SUMMARIUM.

1. Status quæstionis.

2. Propugnatur, injuste Clementem Alexandrinum insimulari ut Arianum.

à num. 3. Usque ad 7. Enervantur oppugnationes.

1. Quid de S. Clemente Alex. sentiendum.

**Q**UERITUR Clericus gravem à Caueo illatam sibi injuriam, violatamque æquitatem, quod in dissertatione de Eusebii Cæsariensis Arianismo eum censura ista inurat, inexploratum esse, utrum cum nostri

temporis Arianis, vel Photinianis faciat ipse Clericus. Querelam vero, sive justam, sive injustam, in Epistola prima Critica repellens, primo pag. 3. carpit Pontificios Scriptores, à quibus nihil æqui soleant impetrare, quicunque

ab